

publicæ notentur indiciis, ut processu temporum apud posteros nullius quæstionis oriatur occasio.

Itaque cum Vir Nobilis D. Monfloritus de Pola debitum humanæ naturæ solvisset Cligerius filius eius et heres veniens ad presentiam Venerabilis Patris D. Ottonis Dei gratia Parentini episcopi, humiliter requisivit, ut ipsum de feudo suo paterno investire deberet, non habito respectu ad feudum avitum, sed ad illud solummodo quod dictus D. Monfloritus eius pater per scriptum sine fratribus suis Dominis Cligerio, Nasinguera et Sergio, in vita sua, non promiscue, sed separatim habuit et possedit. Cuius Cligerii iustis petitionibus antedictus Dominus Episcopus inclinatus cum pacis osculo suis Vassallis recipiens cum bireto suo sumpto de capite ipsum investivit de feudo paterno. Quod feudum ibidem dictum et specificatum fuit hoc modo. Videlicet omnia bona feudalia quae olim fuerunt Domini Andreae de Giroldo citra Valle de lemo versus Polam venendo versus Pisinum et usque Polam, que dictus Dominus Andreas de Giroldo habuit ab antedicto D. Episcopo et successoribus eius, que nominatus D. Monfloritus per se, non habito respectu ad fratres suos antedictos emit ab heredibus memorati D. Andreae de Giroldo seu ab eorum tutore, et molendinum apud civitatem Parentii quod dicitur molendinum de fontana in contrata Sanctis Iohannis de Prato, quod molendinum fuit de feudo memorati D. Andreae de Giroldo, et aliud feudum videlicet quartam partem totius decime Castri Rubinj pro indivise cum D. Preposito Rubini et aliis quorum interest, quam quartam partem dicte decime nominatus D. Monfloritus cum quibusdam aliis feudalibus bonis et possessionibus emit a D. Leonardo filio q. Domini Artoici de Legio, de quibus omnibus antedictus D. Monfloritus sicut ibi facta fuit mentio antea fuerat investitus per D. Episcopum antedictum, additaque fuerunt in hac investitura cetera alia bona feudalia si qua alia restant, de quibus quantum nunc est non habetur certa memoria quam partem eius sine respectu fratrum suorum antecedentium possedit, et habuit.

Insuper de voluntate et consensu cum dicti Episcopi agentis vice sua et successorum suorum huiusmodi fuit adiecta et apposita conditio et respectus. In investitura præmissa si accidet quod antedictus Cligerius sine legitimo herede decederet, quod omnia dicta bona feudalia deveniant patruis eius